

Efficacius erit ad resoluendos humores frigidos, si in lixiuio materiae conuenientes decoquantur.

Ad vmbilicum infantulorum prominentem, & flatibus turgentem, ex adstringentibus & roborantibus parantur, cuiusmodi sunt, cortices quercus, nuces cupressi, balauisticae, gallae, radices consolidae maioris, bistortae, tormentillae, folia bursae pastoris, plantag. vtriusq; semin. cydonior. myrti, flores rosarum rubearum, quae decoquuntur in aqua chalybeata, vel aq. fabrorum, addito vino rubro adstringente, quae sacculis duobus induntur, qui calidi & expressi, alternatim vmbilico adaptantur. Deinde loco siccatum emplastrum contra rupturam imponatur, quod efficacius erit, si bolus armena & sarcocolla, succo potetillae excepta, admisceantur. Nimium vero vmbilico flatibus distento, semina discutientia addere oportet. Quod si vero & lamina plumbi exigua imponatur, suo pondere vmbilicum deprimat. Huiusmodi fodus etiam in ceteris herniarum speciebus, a flatu si caussentur, vsurpari possunt.

*De Fomentis siccis & sacculis.*

C A P. LII.

Fomenta sicca veteribus simpliciter fomenta, vt Celso a fomenta calida dicebantur: Hodie vero sacculi. Variant autem ratione partis, cui applicantur: vel enim capiti imponuntur forma cucuphae vel pileoli, vel frontalis, vel sacculi. Cordi vero forma scuti pyramidalis, ventriculo forma

R

scuti.

2 lib. 2. c. 16.

3 lib. 4. c. 4.